



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Barbara V. & M. 4. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Sed nec urbe pulsus à civibus suis animū despondit. Quòd tamen redux alieniorem ab his animum ferret, visus est sibi noctu, cum inter Divorum Episcoporum comitia locum vellet capessere, aditu prohiberi, quòd in veste cetera candidissimâ unicam maculam præ pectore gestaret, quam tamen ipsam mox unâ cum injuriæ memoriâ ex animo delevit. Mortuus est anno M. LXXV. cum se MARIÆ unicè ac sapiùs commendasset. Cælum nempe subiturus januam hujus pulsabat. *Ex Surio.*

Tamdiu quisque peccata sua ignorat, quamdiu curiosè aliena considerat: qui semetipsum aspicit, non querit in quo alios frequenter reprehendat, sed in semetipso, quod lugeat. S. Bern. l. de Inter. domo.

S. BARBARA V. & M. 4. Decembris.

Nullius tam à vitâ nomen abluit, quàm BARBARÆ. Dioscorum habuit parentē Deorum mancipium, ipsa DEO addicta. Matura, ob formam, turri inclusa, libertate Christianâ, si unquam, est usa. Ter sanctæ enim Triadi devota, ut fidei radii splendidiùs animis illucerent, binis fenestris tertiam superaddidit, balneum verò multâ cruce insignivit, gnara qui mentibus lavandis ex hac fontes scaturirent. Interea cum stomacho Dioscorus intelligit, filiam Christianam esse, & ferro insequitur. Sed finum, quo parens expulerat, mons præbuit disclusus. Et lubens thesaurum hic occultasset, nî, qui miraculum viderat, innocentem oviculam pastor nequam prodidisset. Captam itaque filiam inaudito exemplo ad tribunal pater rapit, cædi virgis viscera sua videt, sanam à Christi manu iterum affligi, quin ubera etiam castissimæ abscindi, non facturum, si bibisset ubera.

ubera. Hinc novus filia suæ leno per urbem ludibrio circumduci sustinet unâ verecundiâ tectam. Demum è tyranno carnifex suâ manu non barbaram filiam barbarissimus parens demetit. Sed carnificis carnifex fulmen fuit, quod in eodem loco scelus extinxit. Nunc BARBARA illis è cælo opitulatur, qui, ne sine sacro epulo diem ultimum obeant, orant. Testis ejus rei locuples Stanislaus est sanctissimus è Societate JESV adolescens; quem si æmulabitur, rectè faciet adolescentia. *Ex Baron.*

Si quando senseris te ad aliquod cieri peccatum, in mentem revoca nulli mortalium tolerabile Christi judicium, omnium durissimam pœnam, confusionem sempiternam: hoc timore, quasi freno animam tuam, ad vitiosam concupiscentiam proclivem cohibe. Ex Basil. in psal. 33.

S. SABAS ABBAS. 5. Decembris.

SAbam si spectasses, Imperatorem dixisses; ut qui monachorum exercitum non unum ducebat, viros omnes, quales vultu etiam se ferebant, cum ille imberbem in castra sua neminem admitteret. Sævientis fornacis flammæ scribitur crucis signo extinxisse; feras & feris magè feros homines domuisse: Agarenum, qui fallaci animo accesserat, terræ hiatus devovisse: templum, cælo monstrante, in rupe alicubi reperisse: in genium malum ab ipso Christo armatus depugnasse, ab eodem nunc cibariis, nunc pecuniis donatus. Jam leonem, qui medicam SABÆ manum expertus erat, ajunt asino custodem ducemque ad pascua fuisse tamdiu, quoad agaso luxurie fœdâ se contaminavit, tunc enim devorasse asinum. *Ipsum*